



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 4. Alia illustria exempla eorum, qui Præceptores suos honorauerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)



ius, ut honesta praberetur caussa, qua à presentibus liberaretur vinculis. Et Deus brevi id fecit. Admisit delictum quoddam Arcadius: quod quia impunitum relinquere non potuit, ferula illum coercens Arsenius castigavit. Atque ille factum id tamquam iniuriam agrè ferens, mortem ei est molitus. Consilium id clam ceptum ubi Arsenius rescivit, insolenti illo vestitus reiecto, quam primum in Scetimo se contulit, & calitus ad se delatam vocem audivit: Arseni, tumultu fuge, & saluabere. Et, vivente quidem Theodosio, latuit. Postquam autem Arcadius ad Imperium pervenit, Angelicam eum consecrari vitam innotuit. Proinde Imperator ad eum scribens, cum precationem benedictionemque eius, tum peccati gratiam ab eo petijt. Eidemque, ut Ægypti totius tributum pauperibus praberet, permisit. Sed hoc ille non recepit. Ita Arcadius discipulus, prius ingratus, postea, quantum Arsenio deberet, agnoscens, Praeceptorem suum honoravit.

## §. IV.

Alia illustria exempla eorum, qui Praeceptorum suos honoraverunt.

Petr.  
Matth.  
lib. 1. hist.  
Gallic.

Magnis & alij Principes honoribus Magistros suos sunt venerati. Hadrianum Praeceptorem suum Carolus V. post varia atque magna



magna beneficia in eum collata, sua commendatione ad Pontificatum promovit. Imitatus est parentem filius rex Philippus II. qui Præceptori suo Ioanni Martini, post complures alios honores exhibitos, Ecclesiæ Hispanicæ Primatum contulit. Matthias Corvinus Vngariæ rex Ioannem Vitesium Varadiensem Episcopum, Præceptorē suum amplissimo illo ditissimoq; Comitatu perpetuo donavit: ac demum etiam ad Strigoniensis Episcopatus dignitatem eum euexit. De Ioannis Damasceni erga vinum Magistrum obseruantia, in vita eius memorat Surius. De Ioannis Quirini in defunctum Benedictum Primulum Præceptorem suum sepeliendum honorificentiam refert Egnatius. Quantum Clotarius Gallorum Rex filio Dagoberto, ob iniuriam Sadrage filio Pædago go suo illatam iratus fuerit, memorat Robertus Gaguinus. Quam demissè necessariam quodammodo absentiam à concione Præceptoris sui deprecata sit S. Elisabetha Regis Vngariæ filia, narrat Iacobus Montanus. Sed his omnibus omissis, non omittere in exemplum superborum iuuenum, atque Præceptoribus suis non modò non parentium, sed etiam contraria quæq; audentiū,

Anton.  
Bonfin.  
lib. 1. Dec.  
cad. 4.

Sur. 6.  
Maj in  
vita eius  
cap. 18.  
Egnat.  
lib. 5. c. 2.

Robert.  
Gaguin.  
lib. 3. de  
gestis  
Franc. sub  
Clotario.  
Paul. Æ-  
mil. lib. 1.  
Iac. Mon-  
tan, Spi-  
rensis: in



Vita S.  
Elisabe-  
thæ c. 6.  
Ex 3. vo-  
lum. An-  
nal. Han-  
non, c. 80.

recensere factum iuuenis æterna memoria  
commendandi. *Balduinus Hannonie Comes,*  
*qui Philippi comitis Flandriæ sororem Theodo-*  
*rici filiam in uxorem duxit, vir fuit non minus*  
*virtutibus, quam maiorum nobilitate illustris.*  
In primis enim præclara non in parentes modo,  
sed etiam in præceptores fuit observantia. Illo-  
rum siquidem mandatis, ita parebat, ut ne la-  
tum quidem (ut aiunt) unguem ab ijs discede-  
ret, neque vel minimam aut offensionis, aut  
iracundia ansam parentibus præberet. Præce-  
ptoribus verò tantum deferebat, eosq; ceu paren-  
tes venerabatur, quòd sentiret scilicet non minus  
se Præceptoribus debere, quam parentibus: ab  
his siquidem bene esse, ab illis autem, ut bene vi-  
neret, acceperat. Itaque iam factus eques, acci-  
dit, ut quodam die, quo Christianis lege Ecclesia-  
stica ab altera corporis refectione abstinendum  
erat, apud quosdam esset, ubi ipso inscio erat eti-  
am præceptor eius, & ore in equitando concie-  
tasset, cum lupum piscem mensæ appositum den-  
tibus attigisset, mox Præceptor ad primum bo-  
lum tussim emittit, quam Balduinus agnoscens,  
veluti pudibundus bolum sumptum ore eiecit di-  
cens: Haud mihi salubris est piscis iste. Sicq; in-  
de in cubiculum recessit, ubi tam propter Eccle-  
sia mandatum, quam propter Præceptoris rene-  
rentiam,



*gentiam, totam insequentem noctem, licet magna fame pressus, abstinnit.* Audiant hoc discipuli illi, quos nulla Magistri autoritas è ganeis potest abstrahere, neque à comestationibus & poculis absterrere. Præceptor, quemadmodum obedientiâ honoratur; ita peruicaciâ discipuli contemnitur; atque vt, illo absente, puerum insolescere leuioris est culpæ, ita iam iam illo imminente, vel præfente, idem facere, est superbæ mentis & indomitæ argumentum. Quidam etsi mali, tamé oculos adhuc magistri verentur, gnari scilicet dextrum pedem in calceo, sinistrum in pelui ponere; qui nondum omnino perierunt, quia illis saltem pudor non perijt. Quæ autem etiam podoniptrum non admittunt, vtroq; pede manent inquinati.

§. V.

*Senibus, tamquam Patribus, aut Præceptoribus, aut magistratui, honorem deberi.*

3. Honor debetur senectuti. Si enim parentes, si præceptores sunt honorandi, meritò & senes honorantur, qui sunt instar parentum, atque instar præceptorum. Parentum instar esse, ostendit modus loquendi, quo seniores à iunioribus, ac rursus iuniores à senioribus vel *Patres*, vel *Filij* ap-